

temporibus Synaxim in populorum conspectu dare habentis consueverunt velintque impositum, ut nos causas recognoscamus, & facultatem literis obsequiamur; qui negligent fuerint, annuam suspensionem incurrunt à divinis. Declaramus præterea nemini Regularium licere extra claustra quacumque occasione, nobis inscius & non approbantis cum Eucharistia processione instituire.

XX. Addit insuper Clerus Gallicanus, fas non esse Ecclesiasticis, sive Regularibus, sive secularibus, exemptis vel non exemptis, se obligare per contractum vel conventionem quamcumque, publicè & in aperto exponere Venerabile; aut recipere ullam fundationem eum in finem, nisi ex ordinatione, aut consensu Episcopi Diocesani. In Actis Cleri Gall. tomo 1. tit. 2. cap. 4. art. 22.

Hanc Cleri declarationem & ordinationem ut justam anno 1665, probavit Concilium Privatum Parisiense; unà declarans, fas non esse PP. Dominicis sine licentia Episcopi Eucharistiam in suis Ecclesiis palam populo exponere. In causa Episcopi Tarcotensis contra Dominicanos; uti latius refert Thiersius lib. 5. cap. 10.

XXI. Illud imprimis in hac expositione ab Episcopis & Ecclesiarum Prælatibus attendendum, ne ejus frequentia minuat reverentiam.

Hinc Synodus P. I. & II. Mechliniensis volens ut extra Festum Corporis Christi ejusque octavam rarius & non nisi in arduis causis pacis & publicæ necessitatis vel utilitatis Venerabile in processibus circumferatur, hanc allegat rationem: *Ne nimia frequentia minuat reverentiam.*

S. Carolus in sua Synodo Diocesana ait: Sanctissima Eucharistia, ne quavis causa, sed publicè tantummodo, ea que gravi exponatur.

Et rursus in instructionibus Sacramentalibus titulo de Expositione Sacra Eucharistia in oratione quadragesimali horarum statuit: "Coram sanctissima Eucharistia oratio 40. horarum in Ecclesiis fiat, ubi Archiepiscopus statuerit, & quando id conceiserit. Ne quavis causa tamen Eucharistia palam & aperte exponatur, sed publicè tantum ea que gravi: aliis verò de causis orationem licebit instituire, sed non Sacramento aperte exponitur."

Plura Synodorum atque Episcoporum Decreta, quibus hæc publica Eucharistia expositio restringitur ad causam publicam per Episcopum approbandam, adducuntur in sæpius allegata Dissertatione Joannis Baptistæ Thiers lib. 2. cap. 5. & sequentibus.

Inter cætera allegat hic auctor dicto cap. 5. querelam Joannis Gropperi Archiepiscopi Colonienfis omnibus ob præclara sua merita notissimè, de frequentiori Eucharistia expositione. "Venerabile Sacramentum, ait, in processibus nimis crebro circumfertur, & populo plus nimio & plerumque palam spectandum exhibetur. Hæc præterea quam quod piis & Deum timentibus non probentur, hæretici & improbi quique offensa inde nascitur ad suas hæreses & improbitates stabiliendas ac tuendas arripunt."

Post hæc concludit: "Utinam Deus ea corrigat, iisque ut ea corrigant, inspiret, qui ex ratione functionis suæ corrigere jure obligantur."

XXII. Si hodie viveret Gropperus, quid non diceret, dum quotidie etiam ex levissimis & privatis causis in omnibus passim Ecclesiis Venerabile exponi videmus; imò ad cuiuslibet pene, nescio quam devotionem, Missas votivas cum expositione Venerabilis, modo sat pingue stipendium offeratur, celebrari conspiciamus. Ex hac frequentia, quam exigua sit populi in conspectu Venerabilis devotio & reverentia, atque exterior religionis cultus, omnibus notum est.

XXIII. Ad hæc, ex præcatis S. Caroli instructionibus apparet, nequaquam ex mente hujus zelosissimi Prælati, Sacram Eucharistiam palam exponendam esse in omni 40. horarum oratione; quod nec pridem usitatum fuisse in simili oratione, tametsi ex causa publica instituta, probat Thiersius lib. 3. cap. 9.

Hodie verò invaluit, ut numquam pene in aliqua Ecclesia oratio instituat, quin una expositio Venerabilis adjungatur: quo fit, ut frequenter cum magno scandalo, & SS. Sacramenti vilipendio & irreverentia, per majorem dici partem Venerabile non alterove præsentem, quasi ad ostentationem, expositum maneat: quod haud dubiè sæpius maledictionem pro benedictione in populum attrahere natum est.

XXIV. Præterea, si juxta Synodum Tridentinam in Decreto de evitandis & observandis in celebratione Missarum, Sacerdos Missam inchoare nequeat, nisi prius, qui interfuit, decenter composito corporis habitu, declaraverit se mente etiam, ac devoto cordis affectu non solum corpore adesse, quidni & Episcopi iis in Ecclesiis, eoque tempore Eucharistiam palam exponi merito vetarent, in quibus prævident, & experientia norum est, eam non esse hominum ad Ecclesias illas convenientium devotionem & reverentiam, qua tanto Sacramento convenientiò multas passim in conspectu Venerabilis insolentias committi; confabulationes, aliaque subinde peiora frequentari.

XXV. Multum quoque ad excitandam populi devotionem & reverentiam erga Venerabile conducit, quod exponatur convenienti cultu & ornatu.

In Concilio IV. Mediolanensi parte 2. cap. 3. statuit S. Carolus, ut dum Venerabile exponendum est, Processio in exponendo Sanctissimo Sacramento per Ecclesiam agatur, Litanis, statimque antiphonis, precibus & orationibus, tum cereis accensis: itidemque in eo reponendo servetur.

Vult autem ut huic processioni non minus quàm sex Clerici, licet ex alia Ecclesia essent advocandi, cum accensis cereis assistant.

Cerei præterea in altari accensi ad summum decem, minimum verò sex decenti crassitudine, ac longitudine colluceant.

Hic videmus, etiam in cereorum accensione moderationem voluisse S. Carolum: sciebat enim, in similibus ipsum quoque excessum populi devotioni nonnumquam impedire, atque reverentiam imminuere.

Instructio pro Pastoribus civitatis & Diocesis Leodiensis edita per Antonium Albergatum Nuntium Apostolicum in visitatione Apostolica anno 1613. pag. 29. decernit, ut Sanctissimum Sacramentum debita cum reverentia honoretur, nunquam populo adorandum exponatur, quin sint accensa ad minus sex luminaria circa ipsum; multo enim melius est, ait, ut non ita frequenter exponatur, & tunc cum debita reverentia, quam ut frequentius & sine debito obsequio, & reverentia significatione id fiat; ut cum nostra animi commotione multis in locis exponi vidimus, & invenimus.

Conformia Synodorum & Episcoporum Decreta plurima citat sæpius allegatus Thiersius lib. 5. cap. 8.

XXVI. Plurimum ad excitandam populi solidam devotionem valebit, si sedulo instruat, quomodo & qua de causa Venerabile palam exponatur: ut nimirum Christus ibidem sub speciebus panis verè & realiter præsentem, ut verus Deus pro nobis homo factus, cultu Latræ adoretur; atque specialis memoria passionis ejus recolatur: majorique quasi fiducia præsentem Advocato nostro ad thronum gratiæ accedamus.


TITULUS V.

De Celebratione Missarum.

CAPUT I.

De varia Missæ significatione; nec non Liturgiarum & Cæremoniarum diversitate.

1. Missa dicitur à missione seu dimissione populi.
2. Missa Catechumenorum à dimissione Catechumenorum.
3. Missa Fidelium à dimissione populi.
4. Missa olim in varia significatione etiam accepta.
5. Missa hodie sumitur pro integra Sacrificii incruenti celebratione.
6. Quid de Missa sic accepta habeat Synodus Tridentina & professio fidei?
7. Circa dogmata nulla est Ecclesiarum Catholicarum varietas, secus circarvius.
8. Christus simpliciter Sacrificium illud celebravit, sicut in scriptura est expressum.
9. Dedit potestatem Apostolis eorumque successoribus ritus ordinandi & immutandi.
10. Hac potestate usa est Ecclesia, dum à jejuniis Eucharistiam sumi voluit.
11. Quo ritu Apostoli Missam celebraverint?
12. Refertur ritus Missæ à Justino descriptus.
13. Ex descriptione hujus Liturgiæ convincitur falsitas Liturgiarum que sub nomine Apostolorum circumferuntur.
14. Pace Ecclesie reddita plures ritus & cæremonia adita fuerunt.
15. Unde Ecclesiarum in cæremoniis varietas?
16. Mediolanensis Ecclesia speciali Liturgia utitur, eamque retineri voluit S. Carolus.
17. Hispani singulare officium habuere, quod Mozarabicum dicebatur.
18. Quo tempore Hispani hoc officio abrogato receperint Romanum; & quid de antiquo super sit?
19. Ordo Gallicanus adversus fuit à Romano usque ad tempora Caroli M.
20. Quis fuerit antiquus ille ritus inquit Card. Bona.
21. Missa Gallicana evulgavit in suo de Liturgia Gallicana opere Mabillonius; & quid in illo continetur?
22. Ipse ritus Ecclesie Romanae non semper fuit idem.
23. Varietas rituum non officit unitati Fidei.
24. Unusquisque ritus sue Ecclesie servare debet; nec privari à autoritate ab eis recedendum.
25. Optandum ut periti cæremoniarum Magistri constituerentur.
26. Ex horum ignorantia multa à Patrum antiquitate aliena inducta sunt.
27. Quædam ex Missa privata contra ordinem in Missam publicam irrepserunt.
28. Multa hodie in cæremoniis habentur pro lege, qua ex abusa irrepserunt.
29. Unde plura in Missis privatae sint obscura.
30. Ex mutatione disciplina, & Missæ abbreviatione magna in cæremoniis obscuritas & perturbatio orata est.

I.  Omen Missæ esse Latinum derivatum à missione live dimissione populi multis ostendit Cardinalis Bona Lib. 1. *Res. Liturg. capit. 1. §. 6.* atque ita accipi in Concilio Carthagenensi IV. *Can. 84.* ubi dicitur: "Episcopus nullum prohibeat usque ad Mis-

sam Catechumenorum, neque Hæreticum, neque Judæum, neque Gentilem Ecclesiam ingredi & audire Verbum Dei. Hoc est usque ad missionem Catechumenorum, qui post habitum sermonem ante offertorium clamante Diacono, Catechumeni recedite, exibant.

II. Et Augustinus serm. 49. cap. 8. de Verbis Domini dum dicit: "Ecce post sermonem fit Missa Catechumenorum, manebunt fideles, venietur ad locum orationis" quid aliud significatum voluit, quam post sermonem, missionem seu dimissionem fieri Catechumenorum?

Unde S. Isidorus lib. 6. de orig. vocum cap. 16. "Missæ est tempore Sacrificii, quando Catechumeni foras mittuntur, clamante Levita: *Si quis Catechumenus remansit exeat foras*; & inde Missa, quia Sacramentis Altaris interesse non possunt, qui nondum regenerati noscuntur.

III. Porro sicut Missa Catechumenorum dicta fuit à missione live dimissione Catechumenorum; ita & Missa Fidelium nomen accepit à missione live dimissione Fidelium, clamante similiter Diacono: *Ita Missa est.*

Id non obscure indicatur in Sacramentario S. Gregorii apud Pamelium, ubi descripto officio ferie VI. Parasceves, tandem in fine dicitur: *Deinde communicat ipse & omnis Clerus, & sunt Missæ.* Ubi quoque ad marginem monet Pamelius: Ex postrema hac clausula colligere est, *Missæ nuncupatur, nempe à dimittendo populo.*

Eodem sensu sumitur à Cassiano dum caput. 13. lib. 2. *Instit.* ita inscribit: *Quare post Missam nocturnam dormire non oportet*: id est, post missionem Monachorum à nocturnis officiis.

IV. Quamvis Missa primitus dicta fuerit à missione seu dimissione, nihilominus hoc etiam constat, varias fuisse jam pridem Missæ significationes; neque nomen Missa in eadem significatione ubique fuisse acceptum.

Missam pro quovis Ecclesiastico officio quod in ædibus sacris peragebatur, interdum sumptam fuisse, præsertim in regulis Monachorum, ostendit Cardinalis Bona lib. 1. *Rever. Liturg. cap. 2. num. 3.* & latius Du Cange in Glossario verbo Missa.

Missæ quoque Catechumenorum olim accepta fuit, & hodie communiter accipitur pro ea parte liturgiæ, quæ Missam fidelium antecedit: id est, ab introitu usque ad lectionem Evangelii ejusque expositionem inclusive. Similiter Missa Fidelium sæpius appellata ea liturgiæ pars, quæ sequitur Missam Catechumenorum usque ad finem.

Ad hæc Missa frequenter sumitur pro festo alicujus Sancti, ut ostendit Du Cange loco citato, notatque verisimiliter inde à Germanis, Missæ nomen inditum nundinis publicis, quæ ad alicujus Sancti festum vel Ecclesiam celebrari solent. Verbi gratiâ, *Frankfurter-misse, Strasburger-misse.* Idem valet ac *Frankfordiensis, & Argentoratensis* nundinæ.

V. Denique sumitur Missa pro tota Sacrificii divini celebratione, quatenus comprehendit utramque, scilicet Catechumenorum & Fidelium Missam: quæ acceptio posterioribus sæculis adeò invaluit & hodie communis est, ut recentiores, ait Bona, vix aliam agnoscant hujus nominis significationem. Notatque, hinc Theologum magni nominis errandi occasione accepisse, dum solum nostri temporis usum attendens, quoties apud Cassianum & Benedictum *missæ* nomen invenit, illud de Sacrificio Missæ intellexit; "ex quo sequeretur (ait Bona) pluries in die, imò etiam post prandium Sacrificia olim à Monachis oblata; quia etiam post Vesperas & Completorium illa S. P. Benedictus suâ phrasî